

www.e-rara.ch

**Commentarius de praecipuis generibus divinationum, in quo a prophetiis
autoritate divina traditis & a physicis coniecturis, discernuntur artes et
imposturae diabolicae, atque observationes natae ex ...**

Peucer, Kaspar

Wittebergae, 1560

Stiftung der Werke von C.G.Jung, Zürich

Shelf Mark: Online

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-8078>

De caeteris [...]

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

nimirum quatenus intra physicas uersatur metas,
 neq; his egressis prolabitur in imposturas. Eas .n.
 ab omni diuinationum genere procul separo &
 explosas uolo in uniuersum. Neque aspernor his
 quamuis tenuibus adumbrata uestigijs, non tenuia
 tamen sapientie diuinae documenta, utut ridean-
 tur. An quisquam leue hoc duxerit, tam uarias par-
 tículas tam specie & quantitate dissimiles, tanto
 numero, eò inter se foedere colligatas ac deuinctas
 esse in unam compagem, ut minuta etiam τὸ με-
 τακάρπις interioris lineamenta & toti fabricæ
 congruant, & principibus membris accommoden-
 tur. Adeo ociosum nihil esse uoluit, aut fortuitum
 in opificio omnium præstantissimo sapientissimus
 Architectus.

DE CÆTERIS τὸ φυσιο-
 λογικῶν generibus, quæ reliquorum
 mixtorum naturas, ut Animanz
 tium, Plantarum, Fossilium consi-
 derant.



IXI INTER CÆTERA
 penè stupenda mundi opera, uel
 præcipuam esse, mirificam inter
 sese consensionem omnium parti-
 um, & συμπάθειας rerum atq;
 ἀντιπάθειας

DE RELIQVIS

ἔντεταθείας, Cingunt & complectuntur circumflexu suo orbem stellarum regionem mundi elementarem, quæq; in ea ex elementis conflata continentur atq; existunt corpora. Nec solum afficiunt ea motu & lumine excitatis qualitatibus primis, ijsq; alias alia proportione iunctis coactisq; in unam temperiem: uerumetiam tanquam occulta ui influentes quæ à reflexo lumine oritur, cōmouent.

Stella poli borealis ad se Magnetem conuertunt, de quo quidem hoc obseruatum affirmant, perpendiculum in nauigatoria pixide magnetelatum in nostro hemispherio à Fortunatis Insulis ad Catygaram declinare dextrorsum gradibus circiter nouem, in altero hemispherio nutare sinistrorsum. moxq; ubi peruentum est ad Meridianum Astorum uocatarum Insularum exacte ad lineam cōgruere Meridianam, nec in alterutram nutare partem: inde uero inflectere sese idem perpendiculum à dextris poli uersus sinistra. Cum sole circumaguntur Heliotropion, Tragopogon, Ornithogalum, Lupinum, Tripolium floris colorem ter in die ad solem mutat. Mane candidum, meridie purpureum, uesperis puniceum conspicitur. Ipso die solstitij olea, populus alba, & salices folia circumagunt, oriente Syrio Parra auis ipso die non apparet, donec occidat, & Thymum Marini Oestro corripuntur, occultatur Coccyx. Certi positus stellarum certos in humano corpore

corpore humores, partes, sensus, aut uegetant, aut hebetant, aut deprauant.

At qualitatibus primis impressis aëri cæterisque elementis, non eodem modo afficiuntur mixta omnia. In ipsa Bruma uulgo floret uocatum *Veratrum*. Fauonijs spirantibus *Thymelea* efflorescit, moxq; hanc insequuntur *Viola alba*, *Narcissi*, & *Trissago*, que primo uere prodit. *Faba* florens apiculam euocat, & hæc procedens fabam florere indicat. Vtraq; finit frigoris indicium. Moro germinante aut efflorescente rubo, à frigoris iniuria nihil amplius periculi.

Animantia omnia uniuersales temporum mutationes, & qui particulatim accidunt, tempestatum exortus sagacissime, priusquam inualescant, ceu odorantur. Propterea magna ex parte aut hyeme ingruente, uel si aër infectionibus sordescat aut obtorpescat, calidius puriusq; cœlum priori deserto captant & quærunt: aut terra se condunt: aut exesas & excauatas arbores subeunt, quosue astute construxerunt alueos, ac delitescunt tantisper, donec abeat frigus, et tepidiore blandioreq; aura renitescat cœlû: aut ex syluis ac horridiorib; locis, in habitata et culta commigrant, intraq; domos, si exasperetur hyems, sese abdunt: aut manent in syluis, quarum pauca sunt, ut *tetraones* & *attagenes*: aut ad aquas degunt. Que discedunt, fere statim abeunt temporibus, statisq; reuertuntur, ut olo

DE RELIQUIS

res, cyconia, feri anseres, coturnices, et alia. Quaedam alia peculiari συμπαθεία occultantur aestate, ut inter aues γράφαλος seu fullo cognominatus, quaedam hyeme, ut mures alpini, glires. Vireo auis χλωπίων dicta, tota delitescens hyeme, ipso die solstitij prouolat. Noctuae sexagenis diebus hyeme cubant. Quaedam alio modo afficiuntur. Canicula ex ortu mutant uocem, & canere desinunt prae riter Luscinia & Coccyx. Milui à solstitio podagra afficiuntur. Corui itidem egrescunt sexagenis diebus, siti maxime, antequam fici coquantur autumno. Septem ante Brumam diebus Halcyones nidificant, & totidem sequentibus pariunt.

Maturitatis hordei & sationis milij ac paniculae signa praebent, circumuolantes uesperis Cincindela, quas λαμπυρίδαε Graeci uocant, & plurimum Aristoteles & Plinius annotarunt.

Formica minimum animal interlunio quiescit, plenilunio etiam noctibus operatur. Habent obseruationes similes plurimas agricolae.

Exuberant atque effluunt in corporibus elementaribus humores luna augescente: eadem senescente defluunt & marcescunt: deficiente ea in solis opposito, etiam arescunt ac torrentur.

Eodem modo eas, quae in dies horasque accidunt, mutationes qualitatum, alia naturae alijs citius atque euidentius percipiunt. Argumento his sunt praesensiones aut oborientium iam, aut paulo post

post sequutarum tempestatum, contagionum, & aliorum huiusmodi in animantibus & plantis. Pulmones marini in Pelago plurium dierum hyemem portendunt. Delphini tranquillo mari lasciuientes flatum, ex qua ueniunt parte: spargentes aquam turbato, tranquillitatem. Lolligo uolitans, cocha adhaerentes, echini affigentes sese, aut harena saburrantes tempestatu signa edunt. Ranae quoque ultra solitum uocales. Et Fulica matutino clangore. Mergi anatesque pennas rostro purgantes, uentum indicant, caeteraque aquatica ues concursantes: Grues in mediterranea festinantes: Mergi in maria aut stagna fugientes. Grues silentio per sublime uolantes serenitatem: sicut noctua in imbre garrula: ut sereno, tempestatem nunciat. Corui singultu quodam latrantes, sequuntur concutientes, si continuant, uentos: si uero carptim uocem resorbent, uentosum imbrem. Graculi sero apibus recedentes, hyemem, & albae ues, cum congregantur, & cum terrestres ues aut contra aquam clangores dant persudentes sese, sed maxime cornix. Hirundo tam iuxta aquam uolitans, ut eam stringat aut percutiat penna. Anseres continuo clangore intempestiui. Ardea in medijs harenis tristis. Pecora exultantia & indecora lasciuia ludentia. Boues coelum olfactantes, sequuntur lambentes contra pilum. Turpes porci alienos sibi manipulos foeni lacerantes. Segniter & contra induriam

DE RELIQUIS

striam suam abscondita formicæ, uel concursantes, uel oua progerentes. Vermes terreni erumpentes eandem tempestatum significationem habent. Præfagiunt tempestates Sciuri, obturatisq; qua spiraturus est uentus cauernis, ex alia parte fores apeririunt.

Trifolium quoq; inhorrescere & folia contra tempestatem subrigere certum est. Et montium sonitus, nemorumq; mugitus, & sine aura quæ sentiatitur ludentia folia, Lanugo populi, spinæ uel uoluitantes, & aquis innatantes plumæ prænuuntia tempestatum obseruata sunt. Ægre de arboribus defluentia folia, & excisa fagis frusta lignea, si madeant, asperam hyemem & intensam præfagiunt: nimirum quod occulto sensu sequuturi frigoribus, tanquam de futuro cogitantes, seq; necessarissimè instruunt, priusq; terra gelu constringatur & duretur, abundantius succos attrahunt. Aëris infectionem passeris & cætera sentiunt aues. Quare contagionibus grassantibus, si uis ueneni amplificetur in tantum, ut aërem occupet & inficiat, abscedunt. Rosas etiam & uiolas, si sub autumnum secundo floreant, pestilitatem adferre compertum est. Non enim iterato prodeunt, nisi constitutio aeris præcedat Austrina uel ἀρχαῖος ὄστος, quæ longo diuturno tempore qualem hoc anno 52 experti sumus cum seua lue, & uidimus rosarum sub autumnum copiam, uiolas aliquot satis odoratas.

Ceterum

Ceterū ἄλλ' συμπαθειῶν ἢ ἀντιπαθειῶν quæ sunt conuenientiæ atq; coniunctiones, uel contra discrepantiæ atq; aduersationes rerum inter se, Harum ergo in mixtis uarietas pene infinita, & nulli hominum satis uel explicate cognita, uel certo peruestigata, hoc constat præcipuas maximèq; insignes ab ijs oriri qualitatibus συμπαθείας & ἀντιπαθείας, quæ & congruunt formis et harum ui cientur. Illæ enim agunt aliquid & efficaces sole sunt: earum sese ope & ministerio forma exerit atq; ostendit, nec aspici aut agnosci potest proprius, quàm in hisce.

At Formalium qualitatum, quibus inter se aut consentiant aut dissentiant ac pugnant intrinsecæ rerum formæ, gradus in uniuersum sunt quinq;, qui quibusdam omnes, aliquibus non omnes inesse reperiuntur. Primum gradum primis tribuo qualitatibus, calido, frigido, humido & sicco, quas omne perfecte mixtum habet, sed suæ attemperatas speciei. Ex harum inter se commixtione & commoderatione in materia uel crassa, uel tenui, uel media inter utramq;, proxime oriuntur sensuum objecta, colorum, sonorum, odorum, & præcipue saporum differentiæ, ut dulce, amarum, acre, acidum, austerum, acerbum, salsum, pingue. Nihil. n. hic de materiæ dicam qualitatibus, quarum supra memini. Rursus utræq; primæ nimirum & secundæ, suæ inter se temperie, pro diuersitate materiæ

DE RELIQUIS

sustinentis & excipientis commixtionem, produ-
 cunt ac constituunt discrimina tertij generis quos-
 litatum, quæ sunt ἀραιωτικοί, πυκνωτικοί, μα-
 λακτικοί, σκληρωτικοί, ἐμπλαστικοί, ῥυτίκη,
 ἑλκτικοί, ἀπικρυστικοί, χαλαστικοί, σωστατι-
 κοί, ἀνασομωτικοί, σωρακτικοί, παχυντικοί,
 λεπνώτικοί, ἀνώδυοι, ὀδύνηροι, πεπτικοί, ἐκ-
 πυκνικοί, διαφωρίτικοί, ἰδρώτικοί, καρωτικοί,
 ναρκωτικοί, ὑπνωτικοί, ἐκσατικοί, σπληνικοί,
 καιστικοί, διαβρωτικοί, ἐσχάρωτικοί, χυτικοί,
 πιλική, κακόχυμοι, ὑπικρατικοί, καταρκτικοί,
 σατικοί, ἔραχέινυθαι, λεαίνυθαι, ἐκφρακτικοί,
 ἐμφρακτικοί. Quarti generis qualitates ex his
 tertijs cum præcedentibus duabus temperatis
 in idonea materia in congruam et formæ ἀνάλο-
 γου crasin emergunt, è quorum sunt numero, quæ
 à Medicis uocantur ὀυριτικοί, ἐμετικοί, ὑπακτι-
 κοί, λαπακτικοί, ἔρρινοι, ἀπφλεγματοτικοί,
 ἐμμίνωρ ἄγωγοι, ἢ ἐπιχετικοί, lactis aut semis-
 nis, χυνητικοί, ἢ σβηστικοί, ἢ προκλητικὴ, ἢ ὑπ-
 οχητικοί, Ἐρωτικοί, ἐρυλωτικοί, κωλλητι-
 κοί, καθαρκτικοί, nimirum quæ abstergendo, aut
 lubricos reddendo meatus, aut comprimendo, aut
 aperiendo laxandoq; aut attrahendo euidentibus
 non occultis qualitatibus uacuant. καθορετικοί
 ἡπατικοί, ὠτικοί, ὀφθαλμικοί, ὀδοντικοί, ἰσχυ-
 ραδικοί, νεφριτικοί, πωλλωνικοί, πρδαγυτικοί,
 ἀρθριτικοί, πλωδριτικοί, βηχιτικοί, λιθωμ-
 πητικοί.

De causis harum omnium ex mixtionum proportionē & materiæ subiectæ conditionibus prolixè & erudite differit Galenus in libris de simplicium Medicamentorum facultatibus.

Sub quinto genere specificas uulgo uocatas qualitates colloco, de quibus etsi quid affirmem certi, non habeo, ab opinione tamen superius exposita non abhorreo. Indidit Deus naturæ conditor, quibusdā reb: peculiare uires à prima origine, quæ cum plantarum atq; animantium seminibus potentia insint: in enata inde propagantur corpora, atque (ut opinor) ex quatuor ante commemoratis generibus, temperatis inter se exactissime secundum ordinatam primitus analogiam in materia conueniente, et ad formam directis atq; accommodatis ordine & lege naturæ suæ, proxime formæ constitutionem antecedunt: ad cuius & essentiam proxime accedunt. Hoc modo ut existimem produci ac propagari specificas qualitates, & non à peculiaribus stellis innecti, tunc cum mixtione cæterarum qualitatum absoluta forma introducitur moueor, & serie præcedentium qualitatum, et quod seminibus potentia quoq; illas inesse res ostendit. Procreatur enim simile ex simili. Ad rationem uero similitudinis absolutæ pertinent & specificæ qualitates, quæ adeo propinquæ sunt formis, ut ab eis diuelli nequeant. Nec singulis speciebus certas

DE RELIQVIS

consentire ac præsidere stellas ordinato aliquo & familiari dominio demonstrari ulla ratione firmari potest, tali nimirum, cuius uis & formæ constituantur, & his uirtutibus instruuntur, quamuis in Septentrionem Magnes inclinet, & Solis imitentur circumactus Heliotropiū, Lupinum, & alia. Nam & semina uegetari, & mixtionem conformationemq; corporum gubernari cæli positu nemo facile inficiabitur. Sed tota res obscura est & procul à conspectu nostrorum remota ingeniorum. Reuertor ergo ad $\sigma\upsilon\mu\pi\alpha\theta\epsilon\acute{\iota}\alpha\varsigma$ et $\acute{\alpha}\nu\tau\iota\pi\alpha\theta\epsilon\acute{\iota}\alpha\varsigma$. Congruunt inter se rerum naturæ, aut dissident, ac pugnant secundum has qualitates aut omnes aut aliquas. Quoad qualitates primas, conueniunt hominum naturæ ex cæteris mixtorum generibus que temperata sunt: aduersantur eidem, quæ mediocritatem excedunt, tantoq; infestius ledunt, quanto qualitatum à mediocritate recessus est longior. plus ledunt quæ tertio quartoue gradu frigoris aut qualitatis medium superant, ut opium, mandragora, arsenicum, thapsia, & quidquid est huiusmodi cæteris mitioribus & moderatioribus. Inflammatis, frigida, perfrigeratis calida congruunt. Cicuta hominibus uenenum, sturnis nutrimentum. Verratum hominibus medicina, coturnicibus alimentum est. Aqua frigida, Salamandra, serpentum oia flammam extinguunt, etsi oia uicissim comburuntur. Manifesta etiam est & $\sigma\upsilon\mu\pi\alpha\theta\epsilon\acute{\iota}\alpha$ uel $\acute{\alpha}\nu\tau\iota\pi\alpha\theta\epsilon\acute{\iota}\alpha$

πᾶθεα, quæ à secundis oritur qualitatibus, & tertijs. Temperata nature conueniunt, immoderata & nature & sibimetipsis repugnant: oclusis uel aliquo obfartis humore contraria sunt, quæ aperiunt: uiscidis, quæ incidunt: crassis, quæ attenuant: duris, quæ emolliunt: laxatis quæ astringunt: glutinosis, quæ deterunt & abstergunt: exasperatis, quæ leniunt & c.

Eadem ratio quarti generis qualitatum. Capiti conueniunt maiorana, betonica, saluia, pæonia, acorum, cubebæ, castorium, moschum, ambra, rosa, uiola, camphora. Thoraci glycyrrhiza, amygdale dulces, iris, marrubium, hyssopus, helenium, crocum, mel, zacharum, tragacantha, adiantum, hordeum, uiola. Cordi tum ex his quedam, tum alia, cinamomum, echion, buglossum, cirsion, rosmarinus, corallia, uniones, os de corde cerui, argentum, aurum, semen oxalidis. Stomacho præ cæteris mentha, mastiche, cariophylla, zingiber, acorum, macis, absynthium, nux moschata, aloë. Hepathi absynthium, spicanardi, eupatorium, rhabarbarum. Lienis, asplenium, phyllitis, hemionitis, teucrion, chamædrys, scordium, epithymum. Venenis aduersantur scordium, lemmia sphragis, bolus armenus. Conuenientie ratio ex quarto qualitatum genere euidens est. Sed longum esset & genera omnia & causas pertexere, de quibus in Medicorum libris disputatum est copiose.

DE RELIQVIS

Occulta συμπαθείας et ἀντιπαθείας exempla innumera habet rerū natura. Tota substantia lupinum hepar et uuae passae conueniunt humano iecinori. Iaspis uirens roborat stomachū. Smaragdus epilepsiae tota natura cōtrarius est, admotusq; corpori illi obnoxio, aut uincit et profligat morbum retinetq; uim suam ac nitorem, aut à morbo superatur, moxq; amittit uim omnem & rumpitur. Stant sanguinem hæmatites & hieracites. Argentum & excludunt hydropem tres cochleae multum tuesae cum uini nigri cyathis tribus, & calefactae atq; epotae. Cinis cancri fluuiialis medetur morsui canis rabidi. Occulta ui trahunt bilem rhabarbarum, scammonia, euphorbium, aloë. Phlegma. cologinthis, agaricum, semen carthami. Melancholicū huius morem, myrobalani Indi, epithimum, polypodium, helleborus. Insanus ac furens Elephas ariete cōspecto mansuescit. Taurus quantumcumq; ferox mitescit alligatus ad ficum. Ouium à lupo admiranda carnes fiunt teneriores, sed lana earum nequa etiam textaq; pediculos gignit. Equi ubi uestigia luporum contingunt, obstupescunt, et totis conuelluntur pedibus. Lupus ex contactu bulborum scyllae resolutus fatiscit. Homo quem lupo prius uiderit, obmutescit. Cancer polipodio obiecto callos pedum & ungulas exuens abiicit. Vespertiliones hederæ suffitu necantur. Vipera fagi ramulo tacta stupet. Ciconiae platani folijs à nidis uestertiliones

tiliones arcent. Hirundines apio silphas et blattas.
 Noxias bestias corui aro. Vpupæ adianto. Corni-
 ces supina uerbenaca. Perdices arūdine. Galerita
 gramine. Aquilæ galli cantu terrentur. earundem
 penna cæterarum auium pennas deuorant. Eche-
 neis remoratur naues. Ad torpedinis contactum
 etiam ex longinquo præualidi obstupescunt artus.
 Ruta ad ficum consita latius prouenit, & ficum
 fœcundat. Brassica inimica est uitibus. Magnes
 ferrum ad se trahit, & uicissim abigit. si allio con-
 fricetur. Extinctam uim recipit prolutus hircino
 sanguine. Adamas & succinum alliciunt arripi-
 untq; paleas, pilos, festucas omnis generis, succi-
 num solum respuit ocimum. Adamas de solo hirci-
 no mollescit sanguine. Astroites aceto impositus
 uertitur in orbem. Saphirus scorpionum ictibus
 medetur. Argentum uiuum auro amicum, cætera
 metalla non transmittit, sed sustinet, auro cedit ut
 fusidat. auro item illitum, mox ubi ignem sense-
 rit, auolat. Exanimata ferè iumenta, & extincti
 penè uirium deliquio homines obiectu panis reuo-
 cantur. nec canum eiulatu, aut ferociore equorum
 hinnitu editas euentorum præfensiones rideo, qui-
 bus animalibus nullum homini familiarius.

Innumera rerum natura suppeditat omnium
 consensuum & discordiarum exempla. Hæc scru-
 tatur in mixtis, & quantum potest ostensis causis
 explicat φυσιολογικῶν. Quatenus uero ex eui-
 dentibus

DE RELIQUIS

dentibus consensionum ac dissidiorum notis, ceterum diuinat, aut de quibusuis mutationibus elementorum, ceterorumue mixtorum, aut de oborituris tempestatibus, aut de abditis atq; abstrusis rerum naturis: in classem concedit diuinationum physicarum. Insunt enim ut hominibus, ita ceteris mixtis notæ sensibus subiectæ, quarum ductu aliquo modo interiores nature pernoscentur: & comprehenditur, quid cuius aptum sit accommodatumq; quid noxium & aduersum.

Nec repugno si quis ad rationem concordia discordiaq; materiales etiam qualitates referat. quarum discrimen duplex, cum aliæ ὑπελκεία, alia καὶ δῶαμιρ ἢ ἀδωαμίαρ existant. siquidem oleum & aquam ob harum discrepantiam non commisceri uidentur, & respondent proportioni mixtionis, ut sit obiectum huius generis φυσιολογικῆς omne genus qualitatum materialium & formalium in plantis, animantibus, & fossilibus, atq; earundem uires, effectiones, conuenientia inter se, aut repugnantia. φυτοσκοπικῶν ergo de plantarum, ζωοσκοπικῶν animantium, ὄρυκτοσκοπικῶν fossilium coniectat naturis interioribus, deq; qualitibus & qualitatum gradibus ac discriminibus.

Ad φυτοσκοπικῶν pertinent ille antea commemorate exempli gratia in plantis aliquibus notæ, indicantes initia finesue aut condiciones quatuor

tuor uniuersalium anni temporum. Eodem diuinationes pertinent metallarijs usitatae, quae fiunt sciotericis & uirgula diuina. Est ea ex corylo decissus bifidus surculus, quo uenas illi auri argentive feraces explorant, inclinante sese eo uirgula, qua sub terra uenae feruntur atq; incedunt. Qua uel id soli corylorum praestent surculi, & non item ceterarum arborum, quae in iisdem prouenerunt locis, eodem terrae altae refectaeq; succo, obscurum est, nisi quod conijcio $\sigma\upsilon\mu\pi\acute{\alpha}\theta\epsilon\alpha\upsilon\pi$ habere corylos ad metalla connatam & occultam, eam augent roborantq; succi cognatae cum metallis naturae, quos ex aggesta radicibus terra, nutritionis causa sugunt & hauriunt. Sciotericis uias ductusq; uenarum profundissimos miro artificio peruestigant & designant, diriguntq; operarios, ne deuiuent ex planorum triangulorum natura.

Desino recitare exempla, quippe tota mihi percurrenda esset et exhaurienda rerum natura, si uellem integre persequi partes singulas: & quantum in hac re humana nauare potest atq; assequi industria, doctorum monumentis descriptum extat. haec recensui, ut earum diuinationum fontes, quae uel ex animantibus & plantis petuntur, uel de ipsorum instituuntur occultis naturis ostenderem physicos esse, non commentitios. Si à meteoris praenuncia tempestatum signa in aëre, aqua, & terra separamus, distincta hic quoq; genera constituere,

DE RELIQVIS

stituere, & ὕδατος κοπία signorum preceden-
 tium tempestates in mari, qualia sunt, si tranqui-
 lum mare murmuret, aut littora ripæq; tranquilla
 resonent, spumæue dispersa et aqua fluitent bul-
 lantes: ἀέρος κοπία eorundem, quæ præeunt mu-
 tationes quasuis ἤ κατὰ ἀστέρας cœli, in ipso ære:
 γῆος κοπία in terra apparentium signorum
 notationem uocare possumus. Cumq; penè in sin-
 gulis locis uariant hæc tria elementa qualitatibus
 non leuia de hominum ingenijs & naturis argu-
 menta præbent, ideo quod necessario corpora as-
 ficunt atq; immutant. Aërem quouis sorbemus mo-
 mento. is euestigio, ubi attractus est, subito fertur
 in totum corpus, pars eius euolat in cerebrum &
 animali permiscetur spiritui, pars à pulmone hauri-
 ritur, quæ deriuatur in cordis sinistrū thalamum
 iungenda uitali spiritui, pars semper deglutitione
 abripitur in uentriculum, unde in hepar fertur,
 ex hepate in uenas distribuitur, Ex quo fieri ne-
 quit, ut non suis imbuat qualitatibus spiritus tenuis-
 simos et immutatu facillimos, humoresq; ob molli-
 ciem alterationi obnoxios plurimum, et continuo
 allisu inherescendo ipsis etiam solidioribus parti-
 bus aliquid suæ nature imprimat. Aqua præcipua
 nutrimenti solidioris est portio. adhibetur enim
 tum coquendo alimento, quod assumimus, tum cor-
 poribus, ijsq; quibus utimur, uestimentis eluendis,
 & quanquam coctura rerum impositarum concipi-
pit

pit qualitates, tamen suas non prorsus exuit, imo uicissim ijs rebus quas seruesfacta coquit, eas infigit, dum crudas penetrat, subigit, attenuat & digerit, donec superfluo humido exhausto, ac crassioribus terreis partibus comminutis & emollitis, utrasq; iunctas ac temperatas in sicciorem, sed tenuiorem multo atq; exactius elaboratam redigat substantiam. Quapropter cum ipso simul alimento uertitur in spiritus, humores, & membrorum essentiam. At terra suis, tum utrumq; elementum aërem & aquam, tum res ex sese natas, quibus uisitamur, imbuit qualitatibus. Quippe in aërem singulis momentis plurimum egerit atq; effundit halituum, quos calore siderum & sibi incluso, fota emittit. Aquæ fontium suæ retinent scaturiginis naturam, unde emanant. puteorum aquæ contrahunt terrarū qualitates, per quas deriuatæ et ceu colatæ in puteos ut humiliores ac profundiores hiatus confluunt & confidunt. Flumina uariant. alias enim atq; alias subinde ex terræ, per quam fluunt, contactu & alluione dissolutarum partium admixtu, qualitates acquirunt. Terra nata ipsius prorsus naturam induunt. quippe eo resectæ auctæq; alimento, quod ex circumfusa terra radicibus sugunt, adolescunt & maturantur.

Non abs re igitur fuerit, imo multū retulerit, aut mores & ingenia hominum exploraturo, aut naturas corporum, quales illæ sint, quibusue obno-

DE RELIQUIS

xia morbis, perscrutatur, accurate qualitates horum elementorum exquirere. In aëre considerandum an crassus sit pinguisq; uel subtilis, an purus magna ex parte aut turbidus & fumosus uel putridus, aut foetens: an salubris, aut pestilens: an temperatus, uel calidior frigidiorue, aut aridior etiam uel humectior, & quidquid est eiusmodi. Nascuntur enim sub cælo pingui ingenia hebetiora plerumq;: acriora gignit tenuius & purius cælum.

In aqua itidem obseruandum an crassa uel tenuis sit, pura & limpida, uel alio infecta colore aut foeculenta, aut sordibus inquinata, insipida uel dulcis, uel metallicum referens saporem, nitrosum, aluminosum, sulphureum, bituminosum, salsum.

In terræ natura penè omne, aut præcipuum omne situm est, ac plurimum interest pinguis ne sit, an macra, an mediocris, an lapidosa. Si pinguis, an argillosa, aut glareosa, aut uliginosa, aut limosa, aut cretosa: an nigricet uel rubeat, uel niteat, uel flauedinem præferat, aut uirorem. Si macra, an harenosa, aut puluerulenta, aut sabulosa, aut cinerica. Si lapidosa, an marmorea, aut silicea: an sit grauis uel leuis: an subsint metallorum uena, uel sulphuris, nitri, salis, aluminis, bituminis, margæ, deniq; qualitates sensiles expendendæ omnes, & occultæ etiam si quas habet. Plurimum enim ab his

his & hominum corpora & terra nata, quæ alim-
 entum fiunt hominibus assumunt. Horum consi-
 derationem si ante positis nominibus et generibus
 tribus comprehenderimus, non errabimus.

DE ASTROLOGI- cis prædictionibus.



AB ELEMENTIS ET MI-
 xtis corporibus ad lucida cœli
 corpora uenio, quæ in elatiore et
 ætherea mundi regione, suorum
 circumactu perpetuo orbium cir-
 ca unam & elementarem reuoluuntur & uelut
 gyran- tur constantissime, nulla sui unquam parte
 affecta uel immutata. In his aut motus, qui singu-
 lis octo orbibus peculiare sunt ac proprii, motu
 umq; leges immotas, certas uices, ac reditum con-
 stantem in idem, ubi unum ceu stadium decurre-
 runt periodo exacta: aut uires atque effectiones
 obseruamus, eas, quas in elementarem promunt re-
 gionem, demissis eo defixisq; radijs.

Inde duo nata distincta doctrinarum genera.
 Quarum illam, quæ describit motuum cœlestium
 leges & uarietatem, & distantias metitur atq; in-
 terualla et magnitudines corporum lucidorum et
 orbium, obseruationibus eruditus usa et pluriū ar-
 tium adminiculo, Vocarunt Astrologiam et Astro-
 nomiam: